



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiae Parisiorum, 1678**

Amor Prodomus Pro Conceptu Illibato Beatae Virginis Drama.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

AMOR PRODROMUS  
 PRO CONCEPTU ILLIBATO BEATÆ VIRGINIS  
 DRAMA.

DRAMATIS PERSONÆ.

AMOR. PARTHENIUS. GRATIA. NATURA.

PARS PRIMA.

SCENA PRIMA.

AMOR.

**A**D SUM beata sede radiati ætheris  
 Præpes Tonantis famulus. Huc dignas Deo  
 Metator ædes, & poli hospitium capax  
 Parare jussus venio. Inexpertus labor  
 Sedenim volentem terret, & cœpti rudes  
 Conatu in ipso torpor astringit manus.  
 Ego ille rerum conditor, picti artifex  
 Parensque mundi: cujus imperium audiens  
 Immensa fluxit unda, vastoque ambitu  
 Complexa terras fastui humano brevem  
 Campum reliquit: ille fabricator poli  
 Pollente cujus spiritu afflatum chaos  
 Effudit astra, seque formosam in diem  
 Nox spissa vertit: velle cui solus labor,  
 Nullaque facere distat à facto mora.  
 Hic artis ac virtutis oblitus tamen,  
 Experisque prorsus consili, incassum hæreo.  
 Theander audi placidus: obtestor tuum  
 Quo cuncta cernis lumen, ut omisi nihil.

Sed

Sed numen orbe majus angusto negat  
 Spatio teneri. Fas foret justa exequi  
 Nisi tantus esses. Commode huc nobis gradum  
 Opemque fert Natura.

## SCENA SECUNDA.

AMOR. NATURA.

*Nat.* Quam optatus venis!

Sed cur relicto nunc petis terram aethere?

*Amor.* Theander ipse misit: & quæ nos fides  
 Harere lateri semper, ac gressus sequi  
 Suadet; eadem lege non molli imperat  
 Abesse. Sedenim dulcis exilii mora  
 Brevis futura est. Quin tibi his olim locis  
 Deum licebit cernere, & propius sacros  
 Spectare vultus. *Nat.* O mihi si quæ dies  
 Tam pura ferret gaudia! Ecquando poli  
 Terræque dominos dabitur amplecti pedes!  
 Mene mea fallunt vota? sed tanti est tamen  
 Errore grato decipi, & sola frui  
 Absentis umbra: Quippe Naturam potest  
 Beare vel sic. *Amor.* Ne tibi plenam invidere  
 Felicitatem: spem magis certa decet,  
 Auctore cælo, tollere in majus fide.  
 Mihi crede, non hoc gratiæ hærebit gradu  
 Amor Tonantis: nec, sui usuram brevem  
 Dedisse populis, & levi solatio  
 Multis luctus, sat erit. In terras pius  
 Cæli relicta sede migrare, & viris  
 Convivere hospes numine exuto parat.

*Nat.* Mentis beatæ, casta materiæ agmina,

G

Habete cœlum : colite felices plagas  
 Et amœna lucis regna : radiantem pede  
 Phoebum superbo premite, & astrorum domos  
 Calcate rutilas. Sorte contenta est sua,  
 Vestræ nec ultra terra fortunæ invidet :  
 Theandrum habemus. Quæ tamen tantum hospitem  
 Satis ampla capiet aula ? Quod templum Deo  
 Soliumve Regi surget augustum satis,  
 Et utroque dignum ? *Amor.* Jamdiu incertam coquit  
 Cura ista mentem, fateor : at quam me magis  
 Partes in omnes verso ; tam fractus magis,  
 Expersque resto consili. Occurrit nihil,  
 Præter laborem. *Nat.* Si quid hæc possint opis  
 Præstare, ferre si quid auxiliû manus ;  
 Habes paratam. Tempa si cœlo juvat  
 Æquare gemmis aspera, aut late aureo  
 Pariete fultos arte moliri lares ;  
 Tibi grata dites India effundet sinus :  
 Baccilque Ganges discolor, flavo Tagus  
 Liquore currens, merita pretiosæ ferent  
 Tributa arenæ : tota materies erit  
 America. *Amor.* Quid ? tu deinde sic speras fore  
 Hospitia domino digna ? non si omnes simul  
 Utriusque mundi detur aggestas opes  
 Cumulare in unum ; non poli quicquid plagis  
 Latet in beatis, si pari possis manu  
 Unas in ædes vertere, ornatas satis  
 Efficere liceat. *Nat.* Fateor hospitium Deus  
 Sibi esse solus meruit : hîc reperit parem  
 Immensus aulam denique ; aliubi exulat.  
 Non ista Domini decora famulorum tamen  
 Obstare votis, & moras sancto decet

Injicere amori: nec Deus merita exigit:  
 Tua si dedisti, gratus es: facti obtinet  
 Vicem voluntas. *Amor.* Ergo consilium sequor;  
 Et me labori comparo. *Nat.* Accedam comes,  
 Si pateris. *Amor.* Ad nos ecce Parthenius venit,

## SCENA TERTIA.

PARTHENIUS. AMOR. NATURA.

*Parth.* Resiste; quo te? *Amor.* Quò Dei imperium vocat  
 Amorque, *Parth.* Herile non bene imperium accipis.  
 Vivum parari poscit hospitium sibi;  
 Non structa gemmis templa, non solido inclytas  
 Adamante sedes: quærit animatam domum  
 Vitæ auctor. Ergo cœpta consilia abjice,  
 Dictisque mentem adverte. Quod Dominum putas  
 Toto apparatu gloriæ, & late sui  
 Splendore cinctum luminis, terras polo  
 Mutare velle; falleris. Non convenit  
 Cum amore tanto tanta majestas bene.  
 Neque vero solis fulgur illius ferat  
 Mortalis acies. Ergo dissimulans Deum  
 Puellæ in alvo corpus humanum induet;  
 Homines ut ipsos in Deum sortem vocet,  
 Paresque faciat: tantus in amore est favor.  
*Amor.* Miranda narras. *Parth.* Certa, & ex ipso mihi  
 Deprompta veri fonte. Venturi sciens  
 Pronœa falli nescia, & cujus pavet  
 Oracla cœlum, voce fatidica id canit.  
*Nat.* Idem ipse, memini, dum vagos mulcet greges  
 Levique citharam pulsat Isäides manu,  
 Cantabat olim pastor, & læto Deum

Vocabat ore : Quid trahis lentus moras  
 Cœlestis infans , germen æternum patris ,  
 Patri æqua soboles ? En tibi castos sinus  
 Alumna virgo pandit , & vitæ parens  
 Ardet vocari. Plura cantabat mihi  
 Oblita vates : atque fatales sacra  
 Referebat ortus virginis , pura Deum  
 Quæ ferret alvo. *Amor.* Nunc scio , templum hoc sibi  
 Theander optat : pareo , jussa exequor.

## P A R S    S E C U N D A .

## S C E N A   P R I M A .

## N A T U R A .

**F**A M O S A rerum mater , æternæ potens  
 Ministra mentis , gratiæ & formæ artifex ,  
 Age dextra : laudis magna se pandit seges ,  
 Sed & laboris. Non novis terræ sinum  
 Ornare fertis , atque sideribus pares  
 Creare gemmas nunc vacat. Nostræ hæctenus  
 Fuit iste ludus artis , & curas modo  
 Meruit minores. Hoc opus totam exigit  
 Naturam , & ultra si quid ingenium potest.  
 Spirans amori , foeda quem nescit Venus ,  
 Aula extruenda : Regis æterni thronus ,  
 Terrestræ cœlum , numinis vultus rapax  
 Illexque forma : quæ sui immemorem Deum  
 Sit redditura : quæ mihi quondam imperet ,  
 Imo obsequentem quæ sibi videat Deum ,  
 Creanda Virgo est. Hoc age , & priscum decus  
 Majore nisu vince : nil dignum efficis ,

Nisi tale deinde posse desperas opus.  
Huc cuncta formæ munera, huc primas nives,  
Lilia, rosasque prodiga dextra iuvat  
Cumulare. Quicquid decoris Hebrææ nurus,  
Quicquid pudoris, gratiæ, modestiæ  
Habuere quondam; Virginis prima inclytæ  
Elementa fuerint. Fama sæclorum omnium  
Confluat in unam: sit futurorum stupor,  
Pudor priorum. Sed traho incassum moras,  
Accingor operi. Cor mihi primus labor:  
Dein pulchra moles principem quæque ordine  
Partem sequetur. Finge Cor cœli capax,  
Regale, tenerum, mite, magnanimum, pium,  
Et liberale, & igne castifico æstuans,  
Unique amoris pervium. Hic curis procul  
Strepituque, solus otij sacri arbiter  
Sese fruatur plenius, molli & toro  
Capiet quietem: Cor erit æterni torus  
Et sponda Amoris: mollius nusquam cubet  
Divinus ales. Sed age formandum est Jecur  
Sacri officina sanguinis: rubrum hinc decet  
Manare vitæ flumen, & jugi agmine  
Totos per artus ire multiplici alveo  
Animabilem undam. Curre cœlestis liquor,  
Deifice sanguis, purpura in pretium liquens,  
Tinctura Numen. Curre pereuntis salus  
Et publica orbis vita. Te longo sitit  
Heu! victa tellus æstu, & extremum malis  
Optat levamen. Finge nunc porro Caput.  
Erit os amoris curia: ingenuâ micans  
Fornix palati purpurâ laquearibus  
Nil invidet aureis. Hic mobili

Solio recumbet, septa quod duplici ordine  
 Eburna cingent: quum viris leges suas  
 Mitis dabit tyrannus, & volentibus  
 Blanda irrogabit jura. Majestas Deo  
 Comes affidebit, & reis placido levans  
 Vultu timorem Lenitas, & crimini  
 Parsisse facilis Venia, longæque insolens  
 Clementia iræ. Nemo non fisti velit  
 Mite ad tribunal: scilicet dulces erunt  
 Quascumque judex exiget pœnas Amor.  
 Mox idem in oculis ludet æthereus puer  
 Lacteola carpens lilia, & castis rosas  
 Genis rubentes: fonte dein vivo natans,  
 Atque lacrymarum balneo, fervens sinus  
 Quod igne faciet. At modo insidias pius  
 Venator animis tendet ac dulces dolos.  
 Nec arma deerunt. Nam supercilium dabit  
 Arcum, pharetram pupulæ, effusi orbibus  
 Radii decoris spicula. His telis amor  
 Indomita corda vincet, & totum jugo  
 Supponet orbem. Perge nunc reliqua exequi.  
 Sed ecce celerem Gratia huc vertit gradum.

SCENA SECUNDA.

GRATIA. NATURA.

*Grat.* Profana remove munera: indultum est fatis  
 Vano colori. Scilicet magnum decus  
 Nuru Tonantis afferet cœno illita  
 Lucente facies? Frontis ostendet nives  
 Et lilia rosis mixta, consortes lupas  
 Habitura Virgo laudis & Venerem æmulam?



Scelerum Theandri mater exuvias ferat ?  
Decus pudendum tolle : vix probro vacat  
Potuisse pingi. Gratia partes erunt  
Ornare Divam. Majus humano petit  
Cœlestis anima munus : offerri nefas  
Quod placeat oculis. Ergo fortunam super  
Felicis aulæ cœlitumque gloriam ,  
Decor est petendus Virgini : puræ decor  
Particula lucis , fulgor umbrarum inscius ,  
Lux molis exors , flos inaspecti viris  
Atque anima pulchri ; cujus æthereæ faces ,  
Oculusque mundi Phœbus , & picto aëra  
Quæ cingit arcu , blandus animorum stupor ,  
Rudis Iris umbra fuerit. Hoc etiam tamen  
Parum videtur. Numinis totum decet  
Offundere jubar Virgini , & vultu sacros  
Imprimere vultus. Ore simulabit Deum  
Virgo ; ac vicissim Virginem referet Deus :  
Suique imago mutua alternis erunt.  
Nubes liquenti pura sic cœlo micat  
Adversum opaco lumen excipiens sinu :  
Pictore radio gaudet ad vivum aureos  
Sol ipse vultus ducere , & propriæ æmulum  
Creare lucis : oculus ancipiti stupet  
Suspensus astro ; nec scit ad quos se prius  
Convertat ignes ; par facit dubium nitor.  
Non sic imago montis auditas refert  
Jocosa voces ; penitus infusum sibi  
Ut Diva reddet Numen. Alto nam pater  
Quicquid volutat pectore ; hoc felix idem  
Breviore cogens ambitu Virgo exprimet.  
Semel ore Verbum fatur æterno Deus :

Idem illa repetet , vivaque è terris procul  
 Resonabit Echo. Summus hunc rerum parens  
 Natum fatetur : filium & virgo asseret.  
 Meus , inquit ille , est : Virgoque excipiet , meus.  
 Imago nostri viva : tum Diva occinet,  
 Imago nostri viva. Succlamat Pater  
 Impendo in orbis victimam : Echo victimam  
 Animata repetet : victimam , curvæ Stygis  
 Valles remittent ; victimam , vastum mare ;  
 Omnisque tellus , victimam , ingeminans canet.  
 Demum ore mœsto , pereat , exclamat Pater :  
 Pereatque , Virgo voce morienti adgemet.  
 Sed ista quondam , lucè cum plena micans  
 Radiabit orbi. Nunc quoque in vitæ gradu  
 Ortuque primo , solis æterni faces  
 Aurora nascens referat. Antiquæ luis  
 Procul hinc tenebræ : nescit hæc umbras dies.  
 Procul este monstra Tartari ; hæc vos lux fugat.

SCENA TERTIA.

AMOR. GRATIA. NATURA.

*Amor.* Hoc agite Divæ. Virginis sanctæ in decus  
 Certare pulchrum est , dignaque ambarum gradu  
 Ambitio. *Grat.* Noster æmulos nescit labor ,  
 Sociosque refugit. *Nat.* At manus famulas feret.  
*Grat.* Opus inquinarent. *Nat.* Gratiaë ductum sequen.  
 Peccare nequeo. *Grat.* Gratiaë ductum insolens  
 Ministra quondam sprevit. *Nat.* Heu ! culpam gravis  
 Sequuta pœna est. Vitia dedidici mea  
 Peccando. *Grat.* Sed quid deinde moliri paras ?  
 Clarumne tenui lampade illustres diem ;

Guttâ

Guttâ profundum , calculo terram augeas.  
*Nat.* Probabo amorem; præmium hoc operæ invides?  
*Grat.* Cultu probabis. *Nat.* Munera adjungi decet.  
*Grat.* Profana? *Nat.* Quæ usu Diva sacrabit suo.  
*Grat.* Queis impudica Lais & Phryne nitent?  
*Nat.* Queis Juditha castæ gloriam & fortis tulit.  
*Grat.* Mortalia ista decora Divam non decet.  
*Nat.* Mortalia Deam decora mortalem decent.  
*Gr.* Placet una virtus. *Nat.* Corpore in pulchro magis  
 Placebit. *Grat.* Ut nox solis illustret jubar?  
*Nat.* Suasque stellas nox habet. *Grat.* Flos est decor.  
*Nat.* Erit ergo gratus. *Gr.* Est vapor. *Am.* Turis vapor  
 Adoletur aris. *Grat.* Nix levi minio illita.  
*Amor.* Ille est pudoris proprius & honesti color.  
*Grat.* Superba cortex. *Am.* Quæ tegit gemmas sinu.  
*Grat.* Tota illa fœnum gloria est. *Nat.* Fœnum suos  
 Habetque flores. *Grat.* Virus est forma, enecat.  
*Amor.* Et ipsa virtus improbos insons necat.  
*Grat.* Alit impudicas illa Cythereæ faces.  
*Nat.* Sol sæpe pestes innocens tetras creat.  
*Grat.* At nostra fucis dona discordant tuis:  
 I, pingue vultus. *Amor.* Quo fugis? refer huc pedem.  
*Nat.* Sic immerentes spernimur. *Am.* Luctum preme:  
 Distractam amore vinciam æterno fidem.

## P A R S T E R T I A.

## S C E N A P R I M A.

A M O R. P A R T H E N I U S.

*Amor.* **G**RATIA recessit trepida, naturæ impiis  
 Sua convenire dona muneribus negans.

H

*Part.* Arcesse utramque protinus. *Am.* Brevis est mora.

*Parth.* Genitale crimen, hoc agis! per te soror  
 Discors sorori pugnat, & sociam abnuit  
 Habere laudis. Nempe naturæ decus  
 Omne inquinasti. Floris ingenui nitor,  
 Serpentis ex quo spiritu afflatus, luem  
 Cum luce cœpit spargere, & blando intulit  
 Mortem veneno; tempore ex illo rea est  
 Oris venustas, atque pendit non suæ  
 Supplicia noxæ. Fœminæ grande est probrum  
 Pulchram videri: formaque à vitio gradu  
 Vix distat uno. Sic Dei princeps opus  
 Spiransque imago sceleris afflatu perit.  
 Nec in ore pestis hæsit, aut vultus opes  
 Solum impiavit: protinus totum ferox  
 Grassata in orbem, cuncta fatali lue  
 Corrupt. Illa Floræ & hortorum decus,  
 Inermis olim, cuspide & nulla minax,  
 Rosa explicabat sponte odoratos sinus,  
 Et innocentis copiam flammæ dabat.  
 Nunc densa circum spina crudeli rigens  
 Mucrone cupidam prohibet à tactu manum,  
 Plagam & minatur: fecit audacem scelus,  
 Cædemque docuit. Tempore ex illo quoque  
 Infecta pallent lilia, & mœsto nives  
 Languore mutant. Et suus gemmis nitor,  
 Sua unioni lux perit: virusque habet  
 Omnis voluptas. Tura vix aris licet  
 Adolere: vix fas numinis, citra scelus,  
 Audire laudes. Inter ardentis preces  
 Et vota pestis gliscit: ac pene impios  
 Facit ipsa pietas. Quodque crudele est magis

*Survexerat ante  
 floribus immixta  
 teneris sine spinis  
 rosa, & pulcherri-  
 mus flos sine ulla  
 fraude vernabat:  
 postea spina sepsit  
 gratiam floris,  
 Ambros. He-  
 xæm, lib. 3. c. 11.*

Atque lacrymandum , januâ letum subit  
 Qua vita eâdem. Quæ fovet corpus, necat  
 Animum voluptas. Si fugas illam, peris :  
 Perisq; rursum si datâ exoptas frui.

## SCENA SECUNDA.

PARTHENIUS. GRATIA. NATURA.

*Parth.* Adeste Divæ. Pacis interpres voco  
 Ad prisca amoris foedera. Has dirum scelus  
 Invexit iras , odia sublatum auferet :  
 Rursum & sorores junget æterna fide.  
*Grat.* Ergone veniat operis in partem artifex  
 Profana sacri ? Non feram. *Nat.* Primas tibi  
 Concedo partes : adlaborantem manum  
 Ne sperne. *Amor.* Dum sic respuis Naturæ opes,  
 Injuriosa es Virgini , & nimio illius  
 Amore peccas. Aspice ut mundi parens  
 Tua ipse facto cœpta diverso improbet ,  
 Dum pulchra pulchris sociat. Astrorum globos  
 Et gravida lucis corpora affigit polo :  
 Aptoque prudens foedere ardentem ignea  
 Solem corona cingit, & nitido decus  
 Adjungit auro. Concha pretiosum micans  
 Parit unionem : nec rosas unquam tulit  
 Urtica olentes , lilia nec horrens rubus.  
 Non habitat humiles pauperis vulgi casas  
 Regum propago : nec specu obscuro latet ,  
 Sed luce gaudet gloria & quærit diem.  
 An foedus animum carcer & fordens luto  
 Cœlestem habebit ? mens Deo plena incolet  
 Vivum cadaver ? Pace sit dictum tua ;

H ij

Tuum ipsa munus perdis : & tristi vice  
 Ingrata fies Gratia , informi trahens  
 A sede vitium. *Grat.* Luce radiantem mea  
 Nec forma juvat externa , nec vitium inquinat,  
 Similisque solis lumini , tango lutum ,  
 Nec ipsa foedor. *Nat.* Quam lutum nullum inficit ,  
 Gemmae inquinabunt ? *Grat.* Ille gemmarum nitor  
 Blanditur oculis , dum luem menti implicat.  
*Part.* Innocua forma est. *Grat.* Reddidit fontem scelus.  
*Nat.* Tolles venenum. *Grat.* Decoris id partem facit.  
*Part.* Tamen Eva fuerat pulchra. *Gr.* Poenituit virum.  
*Nat.* Deus ipse docta pinxerat vultus manu :  
 Ausisne sceleris dicere auctorem Deum ?  
*Grat.* Purum ipse dederat munus : at mulier malo  
 Corrupit usu. *Parth.* Foeminae antiquum nefas  
 Meliore fato vertet , ac formae suum  
 Reddet nitorem Virgo. Quid dubitas adhuc  
 Dare hoc forori , Virgini , terrae , polo ,  
 Mihi , tibi que. *Nat.* Si quid evaleant preces ,  
 Supplicia , lacrymae. *Grat.* Vincitis : dedo manus.  
 Amplexere soror. *Nat.* Vile mancipium voca.

### SCENA TERTIA.

AMOR. PARTHENIUS. GRATIA. NATURA.

*Amor.* O grata amoris vincula ! ô pulchram vicem !  
 Ut vos lubens certatim in amplexus pios  
 Osculaque ruere cerno ! Nobis hæc Deus  
 Prodigia fecit : pace dum vestra , decus  
 Cumulare certat Virginis , Diva & duas  
 Sociare in una quærit. An melior potest  
 Vestrae esse fidei tessera , aut vinculum arctius

Utriusque quam si Virgo permixtas opes  
In se recondat ? maxima ut detis , tamen  
Majora meruit. *Nat.* Nulla me retinet mora.  
*Grat.* Membra ergo finge digna venturo hospite  
Animique regnatoris æqualem manu  
Extrude magistra regiam. Heroum fluens  
Per mille venas sanguis , & totidem ducum  
Intinctus ostro ; fontis & per me sui  
Primo nitore redditus , pulchræ tibi  
Materia cæmentumque sit molis , soror.  
Fac quod neges fecisse , cum cernes , opus.  
Nos animus ipse poscit. O quanta Deum  
Sibi portione dividet ! nunquam halitu  
Se largiore pectore humano indidit  
Vitæ creator. Oris huic omnem sacri  
Afflabit auram , spiritu & toto imbuet ,  
Amator operis prodigus. Non sic face  
Micat è corusca radius , & Phœbo gravis  
Dispellit umbras ; solis invisi ut jubar  
Mens pura referet. Triadis immensum diem ,  
Et opaca luce spatia penetrabit , sinu  
Raptura Patris Natum , & ambobus parem  
Haustura flammam. Pectus hinc casto flagrans  
Ardore , ductus sponte comitabit meos :  
Etiam antevertat , sicubi sine me viam  
Reperire fas sit. Nullus hinc nebulis locus ,  
Nullus procellis. Ne levem flatum quidem  
Olympus iste sentiet : partem infimam  
Pax etiam habebit aurea & constans quies.  
Ego namque totam memet effundam super ,  
Penitusque menti prodigo lapsû influam ,  
Mei esse juris desinens. Formam & vices

Maria sumet gratiæ: etiam gratiæ  
 Parens feretur. Sed decet cœpta exequi.  
*Nat.* Quodcumque possum offerre jamdudum ardeo.  
*Amor.* Properemus igitur.

S C E N A U L T I M A.

P A R T H E N I U S.

Quo feror? quis me mihi

Eripuit? hortum cerno cœlesti manu  
 Atque arte cultum. Plurima hîc florum seges  
 Et copia omnis narium areolis fragrat  
 Oculosque pascit. Cæteris præstat tamen,  
 Totoque supra vertice elatum premit  
 Turbam minorem lilium. Insueto coma  
 Candore lucens nivibus invidiam facit.  
 Gazasque olentes calice formoso explicans,  
 Victas novo rubore perfundit rosas.  
 Sed ecce dirus anguis immensum trahit  
 Caudæ volumen, sibilis trucibus ferox:  
 Cui lingua triplex ore fulmineo vibrat,  
 Cruenta maculis lumina ignitis rubent.  
 Quo pestis illa verget? ubi ponet minas?  
 Heu me! omnis atro periit afflatus decor  
 Serpentis ore: languidum flores caput  
 Ægri reclinant, vixque reliquias suæ  
 Tuentur animæ. Proh dolor! sanctæ locus  
 Felicitatis horret ingrato situ.  
 Etiam, nefande, lilium? hunc tetra lue  
 Inficere florem tendis? immanis fera  
 Siste, & vel uni parce: nec tantum tibi  
 Permite crimen. Ludor? an versa vice



Inferre letum dum parat, mortem invenit  
Inimicus anguis; & suo morfu perit.  
Sic est: draconis germen infestum necat  
Cœleste virgo liliū: namque hanc modis  
Imago miris & sacros ortus refert.  
Ergo agite Divam canite victricem Stygis,  
Solamque vitii puram & antiquæ luis.



